



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio CXXI. Adducuntur plura ad probandam Ecclesiam esse de mensa  
Monasterii, de quibus singillatim in summario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## D E C I S I O C X X I .

Adducuntur plura ad probandum Ecclesiam esse de mensa Monasterii, de quibus singillatim in sum-  
mario.

Illustriss. Lancelloto,

Decis. 204.  
par. 2. recens.

Ulixbonen. juris conferendi.

Mercurii 13. Junii 1607.

## S U M M A R I U M .

- |  |   |
|--|---|
| 1 Ecclesia ex quibus dicatur de mensa Monasterii.  | 5 Ecclesia adificata in fundo Monasterii, dicitur eidem subiecta concurrentibus signis. |
| 2 Ecclesia parochialis ubi habet magnum populum, potest in illius succursum alia ecclesia adificari. | 6 Vicarius & Rector sunt synonyma, & unum pro alio usurpatur.                           |
| 3 Ex quibus signis cognoscatur Ecclesiam esse de mensa, & qua signa sint aqvi-voca.                  | 7 Monachi de jure communi subjiuntur Episcopo.  |
| 4 Mentio Ecclesie fieri dicitur per mentionem Abbatis, qui est caput Ecclesie.                       | 8 Cura animarum est Monachis interdita. Declarant ibidem.                               |

**E**cclesias de Pederneria, de Otta, de Cooz, de Albornina, & Aliubarrota spectare ad Monasterium de Alcobatia, ac inde non esse locum concursui resolverunt DD. ex eisdem fundamentis, quibus respectu Ecclesie B. Mariæ idem decisum fuerat coram bon. mem. Litta die 2. Decemb. 1605. & 21. April. 1606. & postea coram me die 7. Febr. hujus anni, quarum decisionum rationes ferè omnes applicantur Ecclesiis, de quibus agitur, cū constet, quod ante illarū constructionē, Monasteriū erat  
Domi-

Dominus totius territorii de Alcobatia, in quo Ecclesia Monasterii fuerat ædificata, post territorium miraculosè precibus S. Bernardi è manibus Maurorum recuperatū, ut patet ex chronica div. Bernardi, & ex donatione Alphonfi I. Regis Portugaliz eidẽ S. Bernardo facta anno 1161. postmodum ab Innoc. III. confirmata, quàm Ecclesiam monasterialem fuisse parochialem totius territorii fuit resolutum in decisione D. Littæ sub die 21. April. 1606. Hinc Monasterium percepit semper omnes decimas, fructus, & redditus totius Cauti, & territorii, ut patet ex concordia anni 1335. ex testibus, & ex sententia Regis & aliis in prima decisione bon. mem. Littæ ponderatis. Constat etiam alias Ecclesias in prædicto territorio fuisse à Monasterio ædificatas, ut ex eadem concordia anni 1335. & respectu Ecclesiarum, de quibus agitur, adest licentia Episcopi concessa Abbati, & conventui de anno 1236. Rursus respectu Ecclesiz de Pedernera concurrit, quod in concessione ad opus infirmariz de illa facta ac Episcopo anno 1247. fuit ordinatum, quod in illa præsentari deberet ab Abbate Vicarius cum assignatione congruæ exproventibus ejusdem Ecclesiz ad illius Prælatum spectantibus, & sic apparet, quod in dicta Ecclesia aderat Prælatus, scilicet Abbas, qui decimas percipiebat, ad quem cura animarum consequenter spectabat; & cum anno 1335. Abbas congruam Vicario istius Ecclesiz assignasset, vocavit illum Vicarium Ecclesiz nostræ, & in provisione unius portionis istius Ecclesiz 1518. nedum dicit Ecclesiam suam, sed etiam vocat se ejusdem Ecclesiz Priorem, ex quibus apparet, quod dominium & cura penes ipsum Abbatem existeret. Præterea quoad quatuor Ecclesias ex supra dicta licentia illas ædificandi cum facultate præsentandi Episcopo Vicarios, qui curam gererent animarum, cum assignatione congruæ, & cum hoc quod deducta tertia Pontificali, residuum in utilitatem Monasterii convertatur, residuum necessario, quod cum de eo tempore adesset populi, & cum alia Ecclesia non adesset à qua sacramenta subministrari possent, omnino ad ipsum Monasterium accedere debebant, ex qua licentia juncta concordia anni 1335. ulterius colligitur, quod cura principaliter penes Abbatem residebat, cum Vicarii ad illius tantum exercitium deputari deberent; quod etiam comprobatur, quia reservatur Abbati præsentatio Vicariorum, nec non residuum decimarum & fructuum deducta tertia Pontificali. His ita stantibus, cum post Ecclesiarum ædificationem earundem Vicarii fuerint ad præsentationem Abbatis, & Monasterii instituti, cum Monasterium perpetuò perceperit decimas totius territorii, cum congruam Vicariis ab eo præsentatis solverit, cum onera, tam ratione visitationis, quàm pro reparatione Ecclesiarum, quàm denique alia omnia sustinuerit, sequitur, quod hujusmodi Ecclesiz ad ipsum Monasterium spectare, & de illius mente esse dicantur, cum ratione dominii, ut per glos. & doct. in c. de Monachis de præb. & facitur, cum ratione dominii, ut per glos. & doct. in c. de Monachis de præb. & facitur, cum ratione perceptionis decimarum, quæ de

jure debentur Ecclesiæ Parochiali. *Cum contingat de decim. Cardin. in clement. 1. n. 10. q. 9. de off. vic. & alius benè deductum fuit in prima decis. bon. mem. Luta.* Tum ratione præsentationis Vicariorum, ex quo cura principalis penes Abbatem residere dignoscitur. *Vital. in clem. 1. n. 7. de off. vic. & quod Ecclesia non est de per se stans, sed de mensa Monasterii ut in c. 1. de capell. Monach. in 6. Felin. in c. ex parte il. 2. n. 1. & seqq. de rescripti.*

2 Tum quia cum in toto territorio non adessent Ecclesiæ parochiales, cura omninò penes aliam Ecclesiam monasterialem residere debeat, ita ut Ecclesiæ postmodum ædificatæ in illius Monasterii succursum constructæ dicantur. *Cap. ad audientiam il. 1. cum ibi notatis de Eccles. adificand.* Tum denique quia ex omnibus simul junctis, nempe dominio territorii, perceptione decimarum, præsentatione Vicariorum, solutione congruæ, sustentatione onerum & aliis negari non potest, quin resulent sufficientia signa & argumenta, quod Ecclesiæ sint de mensa Monasterii, & ad illud spectent. *Glos. in clem. un. in verbo ad mensam, quam ibi omnes sequuntur. Imol. numero decimo sexto. Vital. numero 82. de excess. pralat. latè Rebuff. de congrua numero 114. & seqq. ad hunc namque effectum similia signa sufficere tradit Felin. consilio secundo numero vigesimo secundo & vigesimo quinto, & fuit resolutum in causa Pampilonen. de stella 14. Decembris 1598. coram Illustrissimo Seraphino. & in hac causa secundo Decembris 1605. coram bon. mem. Luta, & septimo Februarii 1607. coram me.*

3 Non obstant ea, quæ in contrarium adducuntur, nam quod dicitur solam perceptionem decimarum esse signum æquæ vocum, & quod solutio congruæ & aliorum onerum procedant ratione perceptionis decimarum, de quibus est solvenda congregatio Vicariis, *ut in causa Aquitana vicariatus coram Illustrissimo Seraphino cessat,* quia ultra perceptionem decimarum concurrunt multa alia ponderata, nempe quod Abbas præsentavit Vicarios, quod Ecclesiæ ædificatæ sunt in territorio cujus est Dominus Monasterium, quod Ecclesia monasterialis est parochialis, & ante omnes alias ædificata. Ex quibus junctâ perceptione decimarum satis probatur Ecclesias esse de mensa Monasterii, *ut per glos. in d. clem. un. Card. & alios alleg.*

4 Nec obstat quod non probetur Monasterium de Alcobatia fuisse ante istas Ecclesias ædificatum, quia cum Episcopus concesserit Abbati & conventui licentiam ædificandi istas Ecclesias, & illæ fuerint à monasterio constructæ, necessariò dicendū est, quod ante illarū constructionē aderat ipsa Ecclesia monasterialis, & licet in scripturis antiquis non reperiat in specie quod fiat mentio de Ecclesia de Alcobatia, tamen cum fiat mentio de Abbate, satis fit mentio de ipsa Ecclesia parochiali de Alcobatia, & matrice, cujus caput est Abbas. Prout non obstat, quod ante Ecclesiam de Alcob. adessent aliæ parochiales in eodem territorio, cum tempore recuperationis terri-

territorii à Mauris adessent oppida, & monasterium fuerit in loco inhabitato edificatum; tum quia existentia populorum non concludit ad existentiam parochialium, & Ecclesiarum, quas Mauri non colebant, ut fuit dictum die 7. Febr. hujus anni coram me, tum quia ex licentia ædificandi istas Ecclesias concessa ab Abbate per 60. annos post donationem, apparet, quod ante aderat monasterium, Abbas, & Ecclesia de Alcobatia, quia denominatio territorii de Alcobatia ostendit, quod quatenus aliquod oppidum adfuisset, illud erat de Alcobatia, maxime quia in donatione facta à Rege statim post recuperationem à Mauris, fit mentio de quibusdam contractis, nihil autem dicitur de oppidis, quæ verisimiliter fuissent expressa, si adfuissent.

Nec relevat, quod etiam si monasterium fuisset Dominus territorii, nihilominus per ædificationem Ecclesiarum nihil aliud acquisiverit, quam jus patronatus, quia concurrentibus tot signis subjectionem Ecclesiarum denotantibus, monasterium non dicitur habere solum jus patronatus, sed Ecclesie ad illud, uti Dominum spectant, nec præsentationes fiunt ratione simplicis juris patronatus, sed ratione subiectionis, & annexionis, *Card. in Clem. 1. §. 1. in princip. de jur. patron. Et fuit resolutum in causa Vrgellen. Parochialis 13. Novembis 1605. coram Illustrissimo Pamphilio, Et in hac causa coram bon. mem. Litta.*

Quæ autem deducuntur ex institutione anni 1262. ad Ecclesiam de Cooz, in qua Dominicus ab Abbate præsentatus, fuit ab Episcopo in Rectorem constitutus, cum præcepto, quod parochiani illi uti Rectori obedientiam præstent, & jura Ecclesie perfolvant; nihil etiam obstant, cum Vicarius & Rector sint synonyma, & Vicarius aliquando Rector nominetur, & è contra, *gloss. in clement. 1. §. nonnulli, in verb. Rectoribus, Et ibi Vitalis, num. 35. de excessib. Pralat. gloss. in cap. 1. in verb. subiecta, de verb. signif. lib. 6. & in similibus terminis fuit decisum in allegata causa Vrgellen. coram Illustrissimo Pamphilio, Et fuit dictum in hac causa coram bon. mem. Litta, & licet Episcopus instituerit, tamen hæc proprie non est institutio, sed authorizabilis institutio, quæ in Ecclesiis de mensa monasterii spectat ad Episcopum, C. 1. Et ibi gloss. in verbo præsentetur, Et ibi omnes de Cappell. Monac. lib. 6. Et late decisum fuit in dicta causa Vrgellen. quod comprobatur, ex quo idem Dominicus ante dictam institutionem Episcopi fuit de eodem tempore ab Abbate constitutus in Vicarium suæ Ecclesie de Cooz. cum assignatione congruæ, & sic apparet, quod deputabatur solum in Vicarium cum congrua, & quod Abbas erat Rector Ecclesie, quæ per institutionem ab Episcopo factam non alterantur, & cum his concurrat status primævus, & observantia circa deputationem in Vicarium.*

Quatenus etiam allegatur concessio facta monasterio ab Episcopo de Ecclesia de Pederneria ad usum infirmariæ, cum hoc, quod à monasterio præsentetur Vicarius, qui curam animarum gereret, quæ concessio superflua fuisset, si Ecclesia pleno jure ad monasterium spectasset; similiter tollitur, quia, cessantibus exemptionibus Monachi

nachi de jure communi subiecti sunt Episcopo, non poterant propria auctoritate Ecclesiam erectam ad usum infirmitatis unire, & quod cum ageretur de mutatione status Ecclesie, id sine Episcopi licentia fieri non poterat, *juxta notat. in C. cum de beneficio, & ibi Franc. num. 6. de preb. lib. 6.* imo ex ipsa concessione apparet, quod Ecclesia erat de mensa monasterii, cum in ea ordinetur, quod presentetur vicarius per Abbatem cum congrua, & residuo pro monasterio, ex supra deductis, confirmatio autem Innocentii, quae ad illam se refert, nihil alterat, & jus patronatus intelligitur ex modo, quo dictum est, scilicet, quod Ecclesia sit de mensa, & subiecta monasterio, *ex decis. in causa Vrgellen. & Cardin. & aliis alleg.* quod verò inferitur ex conventionem facta anno 1409. inter Abbatem & Episcopum, quod constitueretur nova Cappella, in qua per vicarium de Aliubarrato Cappellanus ad nutum amovibilis poneretur, & quod idem in aliis Cappellis de novo edificandis servaretur, nihil facit, tum quia nedum non constat de effectu huius conventionis, quinimo apparet de contrario, ex quo post edificationem dictae Cappellae, Vicarius fuit positus ad praesentationem Abbatis, tum quia cum in dicta Ecclesia adesset Vicarius perpetuus in Cappella de novo construenda, non spectabat ad ipsum ponere Cappellanum amovibilem, & idem quia Episcopus solus hanc licentiam dare non potuit, fuit deventum ad conventionem cum Abbate, tum quia cum in dicta conventionem consenserit Abbas, qui potuit circa huiusmodi actum sibi praesudicare, non propterea sequitur, quod Episcopus fecerit dictum ordinem propria auctoritate, nec quod Abbas non esset Dominus, aut penes ipsum non esset cura dictae Ecclesiae, immo contrarium probatur ex consensu ipsius qui pro faciliiori sacramentorum exercitio permisit quod in dicta Cappella Vicarius de Aliubarrotta deputaret Cappellanus, non autem sibi circa dominium Ecclesiae, & curam animarum praesudicavit.

Quod etiam inferitur ex allegata licentia edificandi quatuor Ecclesias, de quibus agitur cum reservatione juris praesentandi ipsi monasterio, quasi quod cum ante illarum edificationem nulla adesset Parochia, non potest dici, quod Ecclesiae edificarentur intra limites monasterii, pariter cessat, quia ut saepe fuit dictum, si in locis, in quibus Ecclesiae erant edificandae, adesset populi, necessario debebant esse sub aliqua parochia, nempe sub parochiali de Alcobatia cuius erat Rector Abbas, intra cuius territorii limites existebant populi, & reservatio procurationis verificatur, etiam in Ecclesia de mensa, & in succursum edificatis, sicut reservatio limitandi Parochias ostendit, quod prius una tantum erat parochia, scilicet monasterii, id quod etiam declarat limitatio subsequuta, quando de ordine Episcopi, de consensu tamen Abbatis territorium in certas parochias dividitur, quae divisio & limitatio ab Episcopo facta de consensu Abbatis non tollit, quin Ecclesiae essent de mensa monasterii, cum etiam Cappellae de mensa habeant suum territorium divisum & separatam ab aliis.

Quod deducitur ex quadam donatione Regis Portugalliae anno 1317. de quadam Eccle-

Ecclesia de Turribus veteribus ad ostendendum in prima Regis donatione territorij fuisse comprehensum jus decimandi cum facultate de Ecclesijs disponendi, non concludit. Nam omisso, quod dicitur Ecclesiam prædictam esse extra territorium de Alcobatia, in ea nulla fit mentio juris decimandi, & illa fuit facta longe post donationem territorij, quam non comprehendere decimas, sed esse restrictam ad jura regalia, & sic temporalia, apparet ex ejus lectura, imò de contrario constat ex concordia cum Episcopo inita, ut latè decisum fuit die 21. Aprilis 1606. coram bon.mem.Litta, & consideratum fuit coram me die 7. Februarii hujus anni.

Quæ denique dicuntur de resistentia juris contra monasterium, cum Ecclesiæ præsumantur liberæ non autem subjectæ, & quod Monachis sit interdicta cura animarum, procedunt in dubio, secus verò quando de contrario constat, prout Rota respondit in allegata Vrgellen. coram Illustrissimo Pamphilio, & quicquid sit in Monachis particularibus, & quando monasterium non habet populos, in quibus terminis procedit text. in C. placuit 16. quest. 1. ut notat ibi gloss. in verb. placuit, de jure non est prohibitum monasterio habere curam animarum aut saltem de consuetudine à jure approbata, ut in C. 1. de Capell. Monachor. Clemen. ne in agro. S. ceterum, de stat. Monachorum, Abb. in d. C. 1. n. 1. & 6. de Cappell. Monachor. & ita conclusum &c.

DECISIO CXXII.

De jure præsentandi, potestate conferendi, & alijs privilegijs Abbati commendatario ex indultis specialibus concessis, sublata omni jurisdictione Episcopi in monasteria, bona, personas, Ecclesias &c.

R. P. D. Bevilaqua.

Decisio 148.  
par. 13. recent.

Nullius seu S. Severini parochialis.

Lune 9. Januarii 1660.

SUMMARIUM.

- 1 Monasteria & loca exempta per indultum speciale subtrahuntur à jurisdictione Episcopi, & Abbatis subijcuntur.
- 2 Translatione facta & territorio separato commendatarius est loco diaconis.
- 3
- 4 Pri-